

1183 suum, quem ibi copiosum habebat, totaliter trans-
misit eosque abundantissime recreavit. Fecit hoc
semel et sepius. Sed talem amicum tamquam fidum
colatum mors inimica praecepit, nam mortuus
est proxima estate 7. Kal. Julii¹ plenus operibus
bonis et elemosinis. Qui agens in extremis binas
ex eboe tabellulas, alteram cum imaginibus pul-
cherrimis opere sculpsit, alteram vero cera imple-
tam et tamquam ad scribendum paratam, misit
domino Godscalco in signum et memoriale sincerissi-
mae amicitiae commendans animam nec non et
obitum suum in manus et orationes suas et suorum.
Cum quibus et scripsit duo paria litterarum, quae hic
subiungere dignum duxi:

Godscalco domino et fratri venerabili de Sylva abbati
Henricus miser et infirmus. In manus vestras com-
mendo spiritum meum. Quia iuxta voluntatem q. d. h. c. 23, 46
divinam vehementi infirmitate afflictus mortui nos
appropinquasse cognoscimus, fraternitatem vestram,
quam erga quosque humanitatis officia non sequiter
impendere non ignoramus, humiliter et obnixi peti-
mus, ut etiam iugem nostrae peccatricis animae
memoriam in orationibus vestris faciatis.

Domino Godscalco Sylvensi venerabili abbati ceterisque

1) 1151, Jun. 25, f. obitu T. 23